





681.

1701, 14

14

PROGRAMMA
IO. PHILIPPI SLEVOGTII, D.

IN ACADEMIA IENENSI ANTECESSORIS
FACULTATIS IVRIDICAE

ET
SCABINATVS SENIORIS
ILLIVSQVE HOC TEMPORE DECANI

Lectioni auspicali

HENRICI HEISLINGII
BVXTEHVDENSIS

Regiorum in Ducatu Bremensi & Verdenſi
Dicaſteriorum aduocati

Candidati vtriusque iuris clarissimi
PRAEMIſſVM



IENAE MDCCL

Litteris NISIANIS.



181

PROGRAMMA
IO. PHILIPPI SEBVGTTII.D.

IN ACADEMIA IENENSI ANTIQSSORIS

FACTATIS IURIDICIS

ET

SCABINATVS SENIORIS

PHYSICVS HOC TEMPORE DECANI

LEONII IURIDICI

HENRICI HEISLINGII

PHYSICIS

Regium in Ducatu Brunolli & Verden

Dietariorum abocem

Comitum vrbisq; inis curiam

PRAEMISSVM



IENAE MDCCII

Lictoris MISIARIS

lect
pau
cla,
epil
exer
ex A
poli
pro
trop
que
dar
lexa
etfi
fceb
pra
stur
cha
inu
amp





AEGYPTVS, olim ab Augusto in prouincia formam redacta, etiam in ecclesiasticis, & adhuc concilii Nicæni æuo, nonnisi vnica prouincia fuit. Atque initio quidem tam in illa, quam in reliquis prouincijs, ecclesiæ Alexandrinæ subiectis, non episcopi vlli, sed meri presbyteri habebantur: paulatim vero, & a tempore demum Dionysii atque Heraclæ, Alexandria antistitum, in presbyterorum locum constitui episcopi coeperunt. In hos Alexandrinus metropolitanus ius exercebat, nullis præterea in tota Aegyptiaca dioecesi, quæ ex Aegypto (vnde præcipue nomen accepit) Libya & Pentapoli constabat, existentibus metropolitanis: vt omnes harum prouinciarum episcopi Alexandrino, tanquam communi metropolitano, subessent, & quos populus elegerat in vnaquaque prouincia, ab illo confirmarentur. Quam in rem laudare licet synodicam patrum Nicænorum Epistolam, ad Alexandrinos, Aegyptios, Libyas & Pentapolitanos. Ac tametsi alias in sex etiam prouincias Aegyptiaca dioecesis dispecebatur; teste Notitia Imperii: nulli tamen metropolitano, præterquam Alexandrino, subiectæ erant. Vt hinc manifestum sit, episcopum istum, vtcunque tum temporis Patriarcha quoque appellaretur, ex eo duntaxat nomen sibi hoc inuenire potuisse, quod vnus e primarijs episcopis, atque amplissimæ dioecesi præesset.

):(2

Post

Post hæc pedetentim factum est, vt metropolitani quidem ab Alexandrino constituerentur, quibus ecclesiasticas dioeceses, siue administrationes, mandaret: toti tamen, instar episcoporum, quos stricte sic vocamus, ab auctoritate illius dependebant, neque ipso inuito maioris momenti quidquam in ecclesiis suis poterant statuere. In quo multum discrepabant a ceterarum metropolitanis dioecesum, qui recte & ordinabant episcopos, & alia prouinciarum suarum negotia conficiebant, citra alicuius superioris consensum. Quin etiam si per Chalcedonense concilium, canone XXVIII, Constantinopolitanus præsul id iuris consequeretur, vt metropolitanos Ponticæ, Asianæ ac Thracicæ dioeceseos ordinaret: videtur tamen metropolitanis ipsis aliquandiu adhuc relictum fuisse *πρωτεύειν* illud, siue prærogatiua, suarum episcopos prouinciarum initiandi. Quapropter, ne isto quidem ecclesiæ statu, Alexandrinus vere patriarcha vocari potuit: quod vir clarissimus, Io. Vorstius, luculentius exsequutus est, erudita dissertatione huius argumenti.

Ergo igitur, vt ad concilium Nicænum reuertamur, cuius canonem sextum nuper expendere coepimus; quod in eo Alexandrinus cum Romano episcopo comparatur, non patriarchatus, sed prouinciarum, quibus præerant vterque, adpectu factum est: vt nempe exemplo Romani liceret Alexandrino plures regere ecclesiasticas prouincias, vt cunque reliquorum singuli metropolitanorum singulis tantum prouinciis præessent. Nec frustra Nicæni patres nomina ipsa prouinciarum, ex quibus constat erat dioecesis Aegyptiaca, disertis verbis ponunt, dioeceseos vocabulo abstinentes: quo appareret, numerum prouinciarum maxime spectari. De his vero decernunt, quoniam antiquo more obtinuerit, vt Alexandrinus pluribus, quam alii metropolitani alicuius præsit, & præterea Romanus potesta-

te aut

te aut prerogatiua pari gaudeat, morem istum deinceps quoque seruari debere. Aiunt Patres: *ἰσαριθμὸν καὶ τῶ ἐν τῇ Ρώμῃ ἰσωνικίῳ τῆτο σύνηθες ἐστίν*, quandoquidem *et Romano episcopo ea consuetudo est*, vel vt apud Gratianum *Distinct. LXV, can. 6, parilis mos est*. Quæ autem consuetudo, qui mos ille? vt habeat *ἐξουσίαν* Aegypti, Libyæ & Pentapolis? Ita vellent quidem, qui cum Nicolao primo apud Gratianum contendunt, Romanæ ecclesiæ omnia Domini sermone concessa; idque sciuisse Nicænam synodum. Sed hoc argumento pariter & Alexandrino ius in omnia fuisset tribuendum. Sane nihil aliud sonant verba canonis, quam istud: *Quoniam Romanus episcopus itidem in prouincias plures, siue integram dioecesim, potestatem habet*.

Hæc prima pars est comparationis Alexandrini cum Romano episcopo. Altera, in quonam consistat, ex iure, quo Alexandrinus Aegyptiacam dioecesim tenebat, intelligitur. Erat scilicet non patriarcha, vt supra monitum, sed metropolitanus tantummodo, solos sub se episcopos, stricte sic appellatos, habens. Quia itaque Romanus episcopus pari more seu iure pluribus prouinciis præerat: efficietur inde, concilii Nicæni ætate ipsum nonnisi metropolitanum fuisse. Atque hæc est tota comparatio, quam tantopere vrgent aliqui eruditorum: vt æque nimirum, ac Nicæni patres, episcopum cum episcopo, dioecesim cum dioecesi, potestatem cum potestate, consuetudinem cum consuetudine componamus.

Luculenter vero & ex Ruffino, de prouinciis pluribus, quibus episcopi hi præfuerint, in concilio actum fuisse elucet; dum canonem VI de suburbicariis ecclesiis interpretatur, quarum curam Romanus episcopus habeat. Prouinciæ igitur ætate illa Romano subiectæ, nullæ aliæ fuere quam quæ intra centesimum lapidem continebantur, id est, septingentis

gentis quinquaginta stadiis ab vrbe. Milliarium enim septem
cum dimidio stadiorum, vt Suidas tradit, siue mille passuum
spatium erat; quod veterum aliqui numero rotundo defini-
unt octo stadiis. Dicuntur *vicina vrbi regiones*, lege extre-
ma Cod. Theod. De hab. quo vti oport. intr. vrb. & *fini-*
tima prouincia in antiqua inscriptione. Quæ post alios
inclutus iureconsultus, Io. Srauchius, apud nos quon-
dam docuit, in De centum lapidibus vrbicariis: vt & hoc
in primis, non modo *urbicarias*, *suburbicarias*, & *sub-*
urbanas vocatas, sed nec, quod Sirmondus statuerat, earum
curam vicario vrbis commissam fuisse. Earum quattuor ad-
modum: Tuscia suburbicaria, Picenum suburbicarium (quæ
sic appellantur, vt distinguamus a Tuscia & Piceno annonari-
is) Valeria & Regio Latina. Harum sicuti ciuilem statum
præfectus vrbis moderabatur; ita ecclesiasticum sub episcopo
vrbis, hisque limitibus potestatem eius tum circumscriptam
fuisse, credi par est.

Longe autem a vero aberrat, quem antea diximus,
Nicolaus primus pontifex, Epistola ad Michaellem imperato-
rem, Nicænos patres asseuerans ex Romanæ ecclesiæ forma
exemplum iuris sumsisse, quod Alexandrino speciatim tribu-
erent. Nam recte negauit Launoius, quidquam Alexan-
drino fuisse tributum: multumque omnino distant, dare al-
teri ius, quod nondum habuerat; & quod iam competit, con-
firmare. Hoc posterius in Nicæna synodo factum est: idque
noui tantummodo ab eo tempore habuit Alexandrinus, vt
non sola consuetudine, sed auctoritate concilii quoque iura
sua posset tueri; & augebatur solum titulus possessionis ex
re iudicata. Sane obiecit Launoio Valesius: Si nihil Alex-
andrino datum a synodo dicamus, perinde fore, ac si nihil
tribui actori aut reo contendas, vtcunque ipsi fundus aut
ius, fundive aut iuris, de quo litigauerant, possessio adiudice-
tur.

tur. Verum non simpliciter, numquid Alexandrino tribu-
 tum fuerit, controuertitur; sed ecquid noui iuris per cano-
 nem sextum adeptus sit. Deinde ponitur iam, quotiens
 alterutri litigantium res aut possessio adiudicatur, ius aliquod
 illi competere: quod certe iudex non confert in actorem
 aut reum, sed sententia sua declarat duntaxat, vter causam
 probauerit. Quo pertinent verba Vlpiani lege VIII, §. 4
Si seruitus vindicetur. Tametsi ergo obstringitur, contra
 quem sententia pronuntiatur, vt det, restituat, aut faciat ali-
 quid, aut patiatu alterum habere: victori tamen nihil noui
 iuris eo ipso tribuitur. Nam quod dicitur vulgo, senten-
 tiam, quæ in rem iudicatam transiit, inter litigantes ius fa-
 cere, & ex indebito debitum; illuc pertinet, vt non amplius
 quæratu, vtrum vere potior iure victor fuerit, sed vtrum
 ita iudicatum sit. Quod locus iam non est fusius explicandi.

De cetero prouincias Aegyptiacæ dioeceseos, diu ante
 Nicænum concilium, Alexandrinæ ecclesiæ subiectas fuisse,
 præter canonem sextum dicti concilii, qui ad antiquam con-
 suetudinem prouocat, Athanasius testatur, libro de sententia
 Dionysii Alexandrini contra Arianos: hunc ipsum episcopum
 curam Pentapolis in superiore Libya sustinuisse; quumque
 a Sabellio aliqui in Ptolemaide, vrbe Pentapoleos, corrupti,
 errores eius sequerentur, Dionysium cognouisse causam, &
 quidnam sentiendum sit, statuiffe. Quod autem ex episto-
 la Dionysii ad Germanum, quæ apud Eusebium exstat libro
 VII, in argumentum affertur, quum in vicum Libyæ rele-
 gatus esset, multos ipsum incolarum ad amplectendam Chri-
 stianam fidem adduxisse; id plane infirmum est. Neque
 enim tale facti genus proprium est episcopali iurisdictioni;
 sed potest cuius, & alieno quoque sacerdoti, dari hæc venia,
 vt religione vera populum informet. Quod si fiat, vt alicu-
 bi locorum nec episcopus adsit, nec alius, qui doceat ho-
 mines

ptem
 suum
 definiti-
 extre-
 z fini-
 alios
 quon-
 hoc
 sub-
 arum
 or ad-
 (quæ
 mona-
 tarum
 scopo
 ptam
 imus,
 erato-
 forma
 tribu-
 alexan-
 are al-
 t, con-
 idque
 is, vt
 e iura
 nis ex
 l Ale-
 nihil
 is aut
 iudice-
 tur.




370
mines profanos; cura hæc cuiusvis erit, de salute miserorum solliciti & laborem docendi subituri. Fortius argumentum ex Epiphania, hæresi LXVIII, depromitur, tradente, morem hunc esse Alexandrinorum episcoporum, vt ecclesiastica administrarent per Ægyptum totam, ac Thebaidem, perque Libyam, Ammoniacam, Mæotidem ac Pentapolin.

Ex quo loco & illud discimus, Thebaidem prouinciam quoque, iam ante synodi Nicænæ tempora, in sacris Alexandrino subiectam fuisse. Speciatim de Meletio, Lycopolis in Thebaide episcopo, eundem sub Petro Alexandrino fuisse, & more institutoque veteri, ecclesiastica ad hunc retulisse negotia, idem Epiphanius auctor est. Quem Meletium laudatus Petrus, quod multa peccasset in ecclesiasticas leges, ac deos gentilium sacrificiis coluisse diceretur, viginti admodum annis ante Nicænâ synodum a munere sacro submonit; teste Athanasio Apologia aduersus Arianos. Quibus de rebus, cui volenti fuerit, consulendus H. Valesius libro III Observationum in Socratem & Sozomenum cap. 6.

Hæc, opinor, manifestum reddunt, si cum iis, quæ nuper occasione diserebamus, coniungantur, quidquid conentur Pontificii scriptores, de primatu episcopi sui, ex sexto Nicæni concilii canone, nihil solidi posse produci. Ac defuncti iam labore omni videbatur, nisi ex transuerso incurrerent, quanquam desultorio impetu, cum Baronio ac Bellarmino minorum gentium alii, qui mutilum esse canonem istum, vt vulgo exhibetur, vociferantes, in concilio Chalcedonensi longe aliter dicunt fuisse recitatum. Agebatur eo tempore de Constantinopolitano episcopo, cum Romano priuilegiis exarquando: cui negotio Leo, Romanus præsul, per Paschasium legatum intercedens, ex codice Romano hæc canonis sexti verba adducebat: *Quod Romanæ eccle-*





ecclesia semper habuit primatum. Teneat autem & AEgyptus, ut episcopus Alexandria omnium habeat potestatem, quoniam & Romano hæc est consuetudo. Deinde & antiquam collectionem canonum laudant, quæ statim post Chalcedonensem synodum facta sit, quaque ad Dionysium Exiguum vsque vsa fuerint Latine ecclesiæ: in ea, mutatis quidem verbis, & verborum ordine, diserte tamen haberi: Antiqui moris est, ut urbis Romæ episcopus habeat principatum, ut suburbicaria loca, & omnem prouinciam, sua sollicitudine gubernet: quæ vero apud AEgyptum sunt, Alexandrinus episcopus omnium habeat sollicitudinem. Quæ etiam suburbicaria loca sint, eleganti compendio explicare Alexium Arifinum, & Simeonem Logothetam, Græcos canonum collectores: nempe, quæ Romæ subdita. Quasi nominatim dixissent totum Occidentem, Septentrionem, Africam atque Illyricum.

Hæc quam vane iactentur, fusius ostendi posset, nisi ipsi Pontificalis primatus patroni memorarent, verba canonis Nicæni, ut recitabantur a Paschasino, nec Constantinopolitanum, nec Alexandrinæ & Antiochenæ ecclesiæ codices habuisse: vnde & tanquam supposititia, a sexcentis triginta patribus explosa, iuraque ac priuilegia Constantinopolitani episcopi confirmata fuerunt. Quod præter acta concilii, ipsa Leonis, quam postea necquicquam opposuit, epistola testatur. Vnde & quæ fides habenda sit antiquæ isti collectioni, post synodum Chalcedonensem demum enatæ, & in contextum præterea recipienti, quæ in codice Romano, exordii aut tituli instar, præmissa fuerant, satis apparet: neque Dionysius Exiguus, cuius tamen operam Romana ecclesiæ approbavit, eandem sequendam censuit. Suburbicaria quoque loca tam absurde de omnibus, Romæ, quatenus vniuersum imperium designat, subiectis accipiuntur, quam in pœcliui est, posito solo hoc nomine, intelligere, quæ extra urbem intra centesimum miliarium continentur.

):):)

Fa-



Fas fuerit, longiore exordio, quæ nec protrita, nec sine usu videbantur, proluisse, dum officii ratione, ut aliquid omnino diceremus, postulante, nouo summorum in utroque, tam pontificio quam ciuili iure, honorum Candidato, ad publicam iureconsultorum cathedram, viam facimus. Est ille vir clarissimus

**HENRICVS HEISLINGIVS
BVXTEHV DENSIS**

*Regiorum in Ducatu Bremensi & Verdensi Dicasteriorum
aliquot iam annis aduocatus.*

Qui anno, elapsi vix dum sæculi, septuagesimo in lucem hanc editus, parentes nactus est honestissimos, PETRVM HEISLINGIVM & CAECILIAM DAMMIAM; hanc *Henrici a Damm*, cuius & mercatoris quondam Buxtehudensis, filiam natu maiorem. Eorum cura ita educatus, inque pietate, bonis litteris ac moribus eruditus est, ut intelligeres, quam optime huic soboli suæ, & longe prouisum voluisse: ferentibus iisdem dulcissimum hoc solatium sollicitudinis & impendiorum, ut non sperare iam, sed liquido polliceri sibi, quum ad superos excederent, egregia omnia de pignore tam caro possent. Ex patria schola in Stadense gymnasium amandauerant, ut academicis studiis tanto curatius præpararetur: nec vllas officii sui partes ibidem neglexit, ut potius & publice perorando verba cum laude subinde faceret, tamque sibi conciliaret præceptorum animos industria & obsequio, quam illi successibus suæ operæ lætabantur. Ex gremio velut eorum, quos parentum instar colebat, quorumque merito sequebatur consilium & auctoritatem, in liberiora spatia dimissus, abhinc decem annis ad illustrem hanc sapientiæ palæstram accessit, spectabilis formæ iuuenis, plenus salutarium monitorum, certusque, non ignavia & otio, non exitiosis voluptatibus & luxu, perdendi florentissimam gratiam partem; sed quæ iecerat rite virtutis ac doctrinæ funda-

damenta, in vtilitatem & decus patriæ magis magisque amplificandi. Dicauerat vero animum iurisprudentiæ studiis; illis tam præclaris, quam publicæ rei necessariis: cultores sui strenuos in lucem prouehentibus, atque ad culmina dignitatum. Quæ quoniam sine sapientiæ humanæ disciplinis, tanquam sacra illotis manibus, tractantur: primam hanc sibi dixit legem, vt illarum doctores frequentius adiret.


Ex amoenissimis philosophiæ campis, ad celsa iurisprudentiæ templa gradum promouit: petita quidem innumeris, sed quæ pauci admodum propius contingant; pauciores adhuc ita penetrant, vt in adyta admittantur. Ardua quippe & proluxa via est, quam nemo sine ærumnabili labore ac tædio euadat: vnde mature commasculandus animus, perficandi oculi, & robur omne colligendum. Præliandum in ipso itinere, & fortiter præliandum, non cum larualibus simulacris, aut cum illis, quos, quæue impugnare ac lædere nefas est; sed cum desidia, torpore, cum luxu & praua cupidine, cum barbarie tam ingenii quam morum, & aduersus facinorosas atque exitiabiles omnes illerebras. Neque hic satisfactum putes officio; aut tanquam commune aliis quoque, in quouis erectiorum studiorum genere ad laudem aspiraturis, contempnas. Nam occurrent ostendentque se tibi, non fabularis cuiusdam Sphyngis monstra, solius Oedipi ingenio deuicta; sed immensa multitudo, & in tanta multitudine mille varietates iurium, quæque iuribus definiuntur, factorum: perplexa verba aut sensus, Sphyngis ænigmatibus longe abstrusiores, quæ aggerata in cumulum interpretum volumina, & miri interpretum conflictus, adde, recentia quorundam inuenta, quibus ex certis incerta omnia redditum eunt, in tantum exaugent, vt qui hæc apud animum suum reputat, mirum non sit, si desperatione auertatur. Sed iuuanda tamen respublica, quantum a quouis potest; & tanto præclarior est opera, quanto in grauioribus ne-

go-

gotiis occupatur; danturque gradus progressuum, maiores minores-
 ve, quorum nullus tam vilipendendus est, quin si quivis pro viribus
 connitatur, quousque licet, laudem mereatur ac præmium. Sed
 ne latius euagemur, impigre noster obiuit scholas & priuatas &
 publicas: in quibus grato ore, atque ex merito celebrat, LYNCKE-
 RIANAS eum MVLLERIANIS; nec meas voluit silentio præteri-
 ri: in illis præterea multum se debere agnoscens nobilissimi viri,
 D. CHRISTIANI SCHROETERI, hospitis tum sui, hodie anteces-
 soris celeberrimi, itemque FLOERKIANIS & HARTVNGIANIS
 prælectionibus. Neque neglexit & vilitas, quæ disputando in-
 situuntur, ingenii ac linguæ exercitationes, quibus ad forensia cer-
 tamina, & vel intorquendi in aduersarium tela, vel declinandi aut
 repellendi, artificium atque alacritatem paramur.

Hisce, postquam reuerterat in patriam, se strenue accinxit; ca-
 uens sibi tamen, & serio cauens, a pessimis quorundam, quæ tam
 commendatum, ornatumque a maximis Principibus vitæ genus, vulgi
 conuitiis exponunt, artibus: ne aut caninæ, quam Ciceroni Appius
 exprobrabat, facundia adfueret; aut ad callidam alteram, nihilo
 prorsus meliorem, abduceretur, tam iudici, quam aduersæ parti, obre-
 pentem nequiter; vel ita permiscentem turbantemque omnia, ut ipsos
 etiam oculos solis ac iustitiæ, si fieri posset, frustraret. Pulchre non
 nemo: *Ere ad fraudes imperiti solent descendere, ut quod scientia ne-
 queunt, impostura consequantur. Sic vero circumducunt causam, &
 implicanti, ut tandem corrumpant atque destruant. Prædam, non victo-
 riam spectant; moram, non æquitatem.*

Tot annorum iam experimentis roboratus, satis dignus videri
 potuit, qui DOCTVRÆ quoque dignitate lucem sibi maiorem circum-
 funderet, sortemque conciliaret ampliorem. Igitur nomen in Candi-
 datis academicorum honorum professus, & consensu omnium recep-
 ptus, ac post consueta examina comprobatus, in vestra, magnifice Aca-
 demicæ Rector, Comites illustrissimi, Proceres omnium Ordinum excel-
 lentissimi, & quotquot Themidi nostræ aut operamini, aut illi iuxta, in-
 genisque ad magna surgentibus, fauetis; in vestra panegyri, cras,
 Deo volente, sistendus est; dum ad legem I C. *Quando lis. vnic. sine iud.*
vind. commentabitur, breuissimi temporis audientiam exoraturus. Con-
 uenietis frequentes consueta hora, & æmulam ad paria decora iuuentu-
 tem accendetis: me vero, cum Candidato meo, experiemini, qua fieri
 poterit, memores gratosque. P. P. Ienæ die VII Augusti, MDCCI.



Jena, Diss., 1701

ULB Halle

3

003 707 377



f

TA → Ö

neu 1+ 15 Stück verbunden





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13




681.
1701,14

PROGRAMMA
PI SLEVOGTII, D.

NIENENSI ANTECESSORIS
TATIS IVRIDICAE
ET
NATVS SENIORIS
HOC TEMPORE DEGANI

lectioni auspicali
CI HEISLINGII
XTEHV DENSIS
Ducatu Bremensi & Verdenfi
posteriorum aduocati
otriusque iuris clarissimi
PRAEMISSVM



NAE MDCCL
tteris NISIANIS.

